

*Margherita di Sinopoli presta cinque
once d'oro a Manfredi de Busca*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Margherita di Sinopoli presta cinque
once d'oro a Manfredi de Busca*

1280

In nomine Domini nostri Iesu Christi, amen. Anno eiusdem Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo octuagesimo, vigesimo secundo die, mensi septembris none inditionis apud Rhegium. Regnante domino nostro Carolo Dei gratia Hierusalem, et Sicilie Rege, Ducatus Apulie et Principatus Capue, Achaie Principatus, Andegavie, Provincie, Folcalquerii et Tornadori Comite, anno Regnorum eius Hierusalem videlicet quarto, Sicilie vero sexto decimo, feliciter Amen.

Nos Ioannes de Castello anno nuper predicto none ... ex Rheggii in defectu iudicum, qui nondum pro anno praesenti per Regia Curiam in eodem regio fuerint creati magister Nicander publicus Notarius eiusdem Terre, et testes literati subscripti ad hoc vocati specialiter, et rogati. Per hoc praesens scriptum publicum notum omnibus facimus et testamur, quod in persona nostra nobilis vir Manfredus marchese de Busca Dominus Veteris Brutiani consentiens in nos predictus iudicem et notarium tamquam cum ex certa sua conscientia sciret nos suos non et iudicem et notarium confessus est se presentialiter recepisse et habuisse a nobili muliere Domina Margarita Domina Sinopolis mutuo de propriis eiusdem Domine capitali, ad generale pondus uncias auri quinque per manum notarii Joannes Mesoraficii nuncii ipsius Domine, quas ipsas uncias auri quinque pro parte ipsius Domine mutuo, et nomine mutui eidem Marchisio nobis presentibus in carolensibus aureis assignavit eorum nobis, et renunciavit cauctionis doli fraudis, ignoratie in factum ponderi auri non recepti, et non habite pecunie, et omni legum, et consuetudinem auxilio quod huic possit stare, opponere, se fueri contra predicta convenit, et ex pacto promisit per stipulationem

solemnem sub hypotheca, et obligatione bonorum suorum dicte Domine, legitime stipulante pro ea, dicto notario Ioanne, et eidem restituere, et resignare ipsas uncias auri quinque in festo Dominice Resurrectionis prime venture, annis praesentis none inditionis. Unde quia eodem Domina in eodem termino presens publicum instrumentum fieri voluit. Pro quibus unciis auri quinque eidem Domine resignandis, et solvendis in dicto termino, idem Marchisio dedit, et solvit dicto notario Ioanni pro parte, et nomine praedictae Domine, infrascriptos fideiussores, et principales pagatores videlicet Bisaurum Pullum, Nicolaum Licastrum, Ioannem Teofilatum, Nicolaus de Donna Benincasa, Marinus de Orta, Petrum Paulianum, et Basilicum Hancaram habitatores Terre Veteris Brutiani, qui presentes coram nobis pro predicto Marchisio, erga praedictam Domina, pro solutione predictarum quinque unciarum auri in predicto termino se personaliter fideiussores, et principalis pagatores constituerunt, et posuerunt renunciantes beneficio de primo, et principali conveniendo authentico Ariani leges sancimus sub obligatione honorum suorum omnium dicto notario Ioanni, ac iuraverunt, et pro parte, et nomine dicte Domine tactis corporaliter Sacrosanctis Evangeliiis in defectu predicti debit principaliter in predicto termino proportionaliter solvere, et pagare ei ipsas uncias auri quinque sine aliqua causa, et quod quidem in promptu obligaverunt se eidem Domine pro ... in uncia auri una, iuxta valorem Iustitieriatu Calabrie exhibere pro pena me predicto notario, pena pro praedicta Curia stipulante [ad maiorem] Domine cauthela.

Rogatus praedictis Marchisi et fideiussorum predicti
presens scriptum publicum fieri voluit, scriptum et
subscriptum per manus predicti Iudicis et Notarii publici.
† Ego Ioannes de Castello qui supscripto dicto in anno
postolatus Iudex Rhegii. † Ego Ioannes de Suberato
predicta testor. † Ego Samuel de Serunatis predicta
testor. † Ego magister Bartholomaeus de Ansalone de
Messana testor. † Ego Rugerius Biscardus de Mayda
interfui. † Ego qui supra Magister Nicander publicus
Notarius Rhegii predicta scripsi et testor